

14. Quid est Concilium generale sive oecumenicum?

Est conventus omnium, vel potiorum totius orbis Episcoporum, cui vel Papa ipse, vel ejus Legati præsident, ubi quæstiones de Religione potissimum controversæ deciduntur. Concilium hujusmodi universam refert Ecclesiam, neque in definendis fidei dogmatis errare unquam potest. Contra Concilium sine Papa acephalum est, neque de ullo potest dogmate decisionem facere.

15. Quid est Concilium particulare?

Quod ab Archiepiscopis & Episcopis nationis cujusdam sub Patriarcha, vel Primate; vel à Provinciæ alicujus Episcopis cum, & sub suo Archiepiscopo, rebus singularium quarundam Ecclesiærum ita exigentibus celebratur. Illud vocatur Concilium *Nationale*, ipsum *Provinciale*; neutrum tamen, quod ad fidei dogmata attinet, certæ & indubitatæ est auctoritatis; multò minus Synodus Diœcesana, à Diœcesis cujusdam Clero cum & sub suo Episcopo celebrari solita.

Historia Ecclesiastica.

Seculum I.

I. Quinam Pontifices seculo primo Christi Ecclesiam rexere?

| | | | |
|---------------|---------------|-----------------|-------|
| 1. S. Petrus | ad An. Ch. 65 | 4. S. Cletus | ad 83 |
| 2. S. Linus | 67 | 5. S. Anacletus | 95 |
| 3. S. Clemens | 77 | 6. S. Euaristus | 108 |

2. Quid